



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 125. De remedio horum malorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. *Baptismi efficacia liberari.* Postremo duo
A.C. 1546 hac in re cavenda præmonuit; alterum,
ne sinistra induceretur persuasio de divina
Iustitia, dum in infantibus culpam alienam
punit: alterum, ne pœna eo usque attenua-
retur, ut citra necessitatem Dei Filius ad nos
ab ea redimendos advenisse videatur: eos for-
tasse hic Præsul denotabat, qui arbitran-
tur, satis esse virium in corrupta natura ad
universam Legem observandam; vel etiam
carpebat Ambrosium Catharinum, præ-
sentem tunc temporis in Concilio, qui
infantibus in Limbo naturalem vitæ felicitate-
tem assignat.

§. CXXV.

De remedio horum malorum.

Pallav. n. 8. In alia quadam Congregatione ageba-
 tur de remedio contra mala per ori-
 ginale peccatum inducta, ubi omnes una-
 nimi consensu illud esse Baptismum af-
 firmarunt, idque allatis sacræ Scriptu-
 ræ testimoniis comprobarunt: cum au-
 tem variæ, diversique generis causæ
 producant eundem hunc effectum, ean-
 demque sanationem, hinc præter Ba-
 ptismum, etiam mors ac merita Chri-
 sti, quæ aquæ vitali omnem vim tribu-
 unt, inter ejusmodi causas recenseban-
 tur, nec minus illis annumerabatur gra-
 tia, qua sancti efficimur. Insuper Sy-
 racusanus Antistes fidem quoque reli-
 quis

quis causis adjiciendam censebat, cum ^{Sæcul. XVI.} id Christi Domini verba significant, ^{A.C. 1546.} qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit. Huic etiam Seripandus suffragatus est, multumque interioris fidei efficaciam exaggerabat, illamque exterioris ablutionis virtute superiorem esse ajebat: Verum plures huic opinioni adversabantur, ac ne quidem in Decreto mentionem de fide fieri petebant, cum hæc in parvulis ad delendum originale peccatum haud necessaria esset. Postea hæc Baptismi vis ad tollendam totam peccati maculam adversus recentes hæreticos innumeris ferme sacrae Scripturae, Conciliorum, sanctorumque Patrum testimoniis fuit comprobata.

§. CXXVI.

De concupiscentia post Baptismum remanente.

Cum autem Lutheri Sectatores vehementem hanc pronitatem ad malum, quæ concupiscentia appellatur, nihil aliud, quam ipsum peccatum originale esse contenderent, illudque in parvulis adhuc remanere affirmarent, eo quod ipsa etiam concupiscentia post Baptismum adhuc remaneat, hinc Synodi Patres perversam hanc doctrinam impugnare, totis viribus adlaborabant, ac

Pp 2

præ-